



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice
Methodum compendiariam reformationis Ecclesiasticæ à Concilio
Tridentino factæ continente

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

Præfatio Ad Benevolvm Lectorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)



PRÆFATIO

AD BENEVOLOM LECTOREM.

NE ipso statim in limine hujus Instructionis
offendas, amice Lector, & plus fortè ex-
spectes, quàm in ipso Opusculi hujus decursu sis
reperiturus, intentionem meam, scopumque pau-
cis accipe. Quintuplicem esse Theologiam nô-
sti, Positivam videlicet, quæ in sensu S. Scri-
pturæ indagando, & explicando occupatur, &
ideo positiva vocatur, quia ponit & stabilit fun-
damenta, ac locos argumentationum Theologi-
carum. Asceticam, quæ doctrinas ad perfe-
ctionem virtutum consequendam necessarias
tradit, &, quia in Asceteriis seu Religioso-
rum Monasteriis plerumque docetur, Ascetica
nomen accepit. Polemicam, quæ modum de-
fendendi Mytheria Fidei Catholica contra Hæ-
reticos ostendit. Scholasticam, quæ specula-
tivas præcipuè quæstiones modo Scholastico, id
est, altercativo discutiendas sibi assumit. Mo-
ralem, quæ ad conscientiam & actus huma-
nos

P R Æ F A T I O.

nos seu morales hominum dirigendos ordinatur, quarum quidem omnium Theologiarum notitia quantopere Sacerdotibus ad suam & aliorum salutem atque perfectionem procurandam obligatis necessaria sit, ex iis, quae fusiùs de hac materia in Instructione quarta de Pastoribus dicta sunt, colligere licet. Quia tamen non omnes Sacerdotes animum & vires, aut occasionem aut media habent, ad omnes has Theologias perfectè addiscendas, ideo, ut eam saltem, quae necessaria est, & ad ipsorum functiones fructuosè ac securè obeundas sufficere potest, doctrinarum ad has Theologias pertinentium notitiam haurire, aut certè, si priùs hauserint, facili labore in memoriam revocare possint. opera pretium me facturum existimaui, si more aliis Facultatibus recepto, Institutiones componerem, quibus & praecipua singularum scientiarum suprà nominatarum dogmata breviter, dilucidèque explicarentur, & simul etiam modus facilis, solidusque ad eas ampliori cum fructu addiscendas traderetur. Quem quidem laborem tanto promptiùs suscepi, quanto ardentius à quibusdam desiderari sciebam, ut omnes ejusmodi Institutiones uno libello comprehensæ offerrentur,

P R E F A T I O.

ventur, ut & singularum Theologiarum talium
inter se diversitas, inspectis earundem dog-
matis facilius appareret, & ipsa etiam illa-
rum inter se pulcherrima subordinatio clariùs
cognosceretur. Boni itaque laborem hunc con-
sule, benevole Lector, & tantò studiosius frue-
re, quantò ampliorem ex eo fructum, utilita-
tèmq; jure merito poteris sperare; sed & se-
ptimam Instructionem de concionibus forman-
dis proximè expecta.



INDEX